

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Andreas Daniel Habichhorst Ulrich Darjes

**Partis II. Illustrum Isaiae Locorum Dissertatio Secunda De Medis Ad Eversionem  
Babelis a Deo Vocatis, Mandatis, Excitatis Et Sanctificatis, Ex Isai. XIII. 3. & 17.  
Iuncto Dan. V. 24. 30. 31.**

Rostochii: Wepplingius, 1695

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740907557>

Druck Freier  Zugang





B.U.-theol 1695 Habichthorst, Analysen/6

PARTIS II.  
**ILLISTRUM JSAIÆ LOCORUM**  
**DISSERTATIO SECUNDA**  
DE

# M E D I S

<sup>AD</sup>  
**EVERSIONEM BABELIS**  
<sup>à DEO</sup>  
**VOCATIS, MANDATIS, EXCITATIS**  
ET SANCTIFICATIS,

*Ex JSAI. XIII. 3. & 17. 3uncto DAN. V. 24. 30. 31.*

*QVAM*

Auxilio DEI Hominis & Ven. FCtis THEOL. consensu,  
PRÆSIDE

**ANDR. DANIELE**  
**HABICHHORSTIO.**

S.TH. Doct. ejusdemq; P.P. & Consiliario

Duc. Meckelb. Consistoriali, Collegique Professorum

Principalium nec non FCtis suæ Seniore

& h. t. Decano,

Academicæ sententiarum collationi,

In illustriss. & perantiquæ Univ. Rostoch. AUDITORIO MAJORI

*Ad d. XXX. JAN. A. C. M. DC. XCV. instituenda, sicut*

**ULRICUS Maries / ROSTOCHIENSIS.**

Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

1695

Incomparabilibus Patrie Patribus,  
Inclutæ Rostoch. Reip. Luminibus & Columinibus fulgidissimis,  
VIRIS

Magnificentia summâq; rerum gerendarum Curâ, ut & Amplitudine  
ac prudentiâ maximè conspicuis:  
Juxta receptionem in Senatus Collegium, salvo Graduum merito-  
rumq; respectu sic locatis,

D N. DIETERICO WOLFFRAHT,  
D N. CHRISTOPHORO REDEKERO, JCto  
D N. GEORG. MELCH. SVEDERO, JCto  
CONSULIBUS, gravissimis;  
D N. JOHANNI JOACHIMO TIELCKEN,  
J.U.D. & Syndico Consultissimo, æstumatissimo;

ut &  
DN. CHRIST. Knesebeck / DN. DETL. Marckmann / J.U.D.  
DN. EBERH. v. Bergk / DN. JOH. BUKIO. J.U.D.  
DN. JAC. Diestler / DN. VALENTINO. Stein /  
DN. JOH. Lamprecht / DN. JOH. Niemann /  
DN. DAN. Leschen / DN. JOACH. Wilden /  
DN. JOACH. Detloff / DN. CHRIST. MICH. Stöver /  
DN. BERNH. Elfers / Dn. JOH. CHRISTOPH. Kilian

SENATORIBUS Specatissimis meritissimis q;  
DOMINIS Patronis, Macenatibus, Evergetis ac Promotoribus meis, summa  
quâ decet observantia, summe colendis.

Hanc Disputationem Exegetico-Didacticam  
Debitæ observantiae, gratitudinis & obsequiosissimi affectus  
ergo, cum voto felicissimi Regiminis, diuturnæ &  
felicioris vitæ, omnisq; in DNO prosperitatis

reverenter consecrat

Magnificentiarum & Amplitudinum Vestrarum Clien-  
tis Observantissimus

U. Darjes!

LOC. III. JSAI. XIII. v. 3. & 17.

21

Cui jungitur DAN. locus c. V. 24. 30. 31.

De

MEDIS AD BABELIS EVERSIONEM A DEO VOCATIS,  
mandatis, excitatis & sanctificatis.

DISP.

II.



Venadmodum Propheta præcedente secundo capituli hujus XIII. versu (quem præced. Disp. exposuimus) bellum contra Babylonem, auctoritate Domini fretus indixit, & adhibitâ hypotyposi ac similitudine vexilli in monte excelsô elevati, imperativè locutus est: extollite vexillum super montem excelsum, elevate vocem &c. qui tamen Imperativi etiam pro futuris Ebraeorum more positi videntur, q. d. elevabunt vexillum, sc. hostes Babylonis: ita in sequentibus vers. 3. & 17. diserte jam manifestat, quisnam sit causa illius indictionis & eversionis summa, belliique adeo publicandi Autorem Deum loquentem introducit v. 3. simulq; Medos, illos vexilli clatores divinig. decreti de evertenda Babylone executores, designat v. 17. & his quidem verbis: v. 3. Ego præcepisti sanctificatis meis, etiam vocavi fortis meos in ira mea, exultantes in gloria mea: & rursus v. 17. Ecce ego Medos excito contra illos, qui argentum non estimabunt & aurum non appetent, sed arcubus pueros collidunt &c. Cum v. non a Medis tantum, sed à Persis quoque Babyloniam esse expugnatam, neque tamen ab his eversam, historiæ testentur, & præterea Reformati argumentum divina peccati causationis hic invenire videntur, non abs refore putamus, si ad hæc quoque verba versuum 3. & 17. hic conjugendorum, nonnulla commentaturi & post loci sensum ejusdem quoque usum & abusum DEO juvante sunus annotaturi.

D

s. 2.

S. 2. Pro evolutione genuini verborum *sensus* quinque h̄ic potissimum tractanda essent (1.) Quis præceperit, adeoq; *causa* Babylonicæ eversionis *summa* fuerit; Ubi ē textu respondetur: *Ego sc. Dominus, præcepi &c.* (2.) qvomodo verlatus is circa eversionem Babylonicam fuerit? T. *præcepi, vocavi, excito* (3.) Quibus præceperit, adeoque qvinam executores Babylonicæ eversionis fuerint? T. *præcepi sanctificatio meis. Ecce ego Medos excito contra illos, qui argentum non æstimabunt Sc. (4.) quamobrem præceperit, s. quæ causa impellens interna fuerit? Scil. justa Dei ira. T. Vocavi fortes meos in ira mea. (5.) Quid præceperit s. ad quid vocaverit? T. Arcubus pueros collident &c. Nos v. in compendium hæc contracturi, quæstiones qvasdam expeditu non adeo faciles movebimus, tum circa causam eversionis Babylonicæ summam, sc. Deum præcipientem, vocantem, excitantem Medos; tum circa executores decreti ejus, quibus præceperit, sc. Medos sanctificatos Dei, argentum non æstimantes &c.*

S. 3. I. Circa summam eversionis causam, DEUM præcipientem, una hæc occurrit quæstio: qvomodo is ipse Medos præceperit, eosdem vocaverit & excitaverit, s. *Spiritum Medorum, ceu Jerem. c. 51. n. dicit, suscitaverit?* Certe si Calvini num h̄ic consulimus, respondet is in *Comment. super Jsa. h. l. p. 119.* hoc modo: *Quod addit continuò post, se VOCASSE, plus est quam PRÆCIPERE, quod primo loco posuit. Significat enim ipsos non tantum Dei nutu, sed etiam expressa voce excitatum iri, ac si aliquem ad me vocarem, quod statim sequeretur. Ab hoc v. dissentiens Coccejus in Comment sup. Jsa. h. l. negat, externa voce DEUM Medos vocasse, officium ipsis suum indicando. Similiter & Wolf. Museulus in Comment. h. l. p. 219. Hoc, inquit, genus præcipiendi & vocandi*

vocandi non sit externa voce sed interno instinctu, quo duos Re-  
ges Cyrus & Darium adversus Babylonem excitavit. Verbo  
**PRÆCIPENDI** enim instinctum notat, quo mentibus illorum  
indidit, quid facere deberent; **VOCANDI** vero, quo ad perfe-  
ciendum illum excitavit. Contrà v. Anglicani h. l. & vocavit  
idem esse dicunt, quod precedens mandavit. Ita ergo Re-  
formatos cum Magistro suo haut convenire videmus.

S. 4. Nos preceptionem & vocationem hanc nego;  
externa voce factam esse, cum nullibi id indicetur, adeoq;  
præceptum & vocationem hanc præcepto & vocationi  
humanæ dissimilem, ab omniique iniquitate non partici-  
pantem judicamus, neq; præceptum & vocationem hanc  
arcnum inferre impulsum internumve instinctum, quo Deus  
Medis cogitationem ac voluntatem peccandi puerosque  
Babyloniorum arcibus allidendi & mulieres ipsorum  
violandi v. 16. immiserit, dicimus: hoc enim à sanctitate  
Dei alienum. Et quis illa qvæ v. 16. & 17. de pueris &  
mulieribus dicuntur, qvæq; tantæ sunt crudelitatis & sce-  
leris, in hominibus & qvoad ipsam operationem, ut non  
videantur ullo excusari modo posse, Deo tribueret, vel à  
Deo illos ad hanc crudelitatem & sceleram impulsos affirma-  
ret, vel externa voce ipsis scelerahæc præcepta, impulsuve  
arcano ad hæc vocatos esse. Sunt a. verba hæc præcipiendi,  
vocandi & excitandi summæ & admirabilis divinæ guber-  
nationis ac providentiæ vocabula, qvæ indicant divinæ  
gubernationis decretum circa Babyloniorum eversionem  
tam certo futuram, quasi Deus omnia præceperit, & circa  
hostes Babylonie Medos, tam certo venturos, ac si Deus ex-  
terna illos voce vocasset, quamvis non præceperit nec vo-  
caverit, uti præcipiunt & vocant homines. Sic Deus prece-  
pit simus, ut Davidem contumeliis afficeret 1. Sam. 16. h. c.  
D 2  
permisit

permisit, ut illud fieret in finem omnino justum. Conf.  
*Dn. D. Seb. Smidii* Comment. in Isai. h. l. p. 137. & 138. qui hoc  
demum anno 1693. in lucem prodiit, &c, dum haec scri-  
bo, primum mihi communicatus, sed admodum brevis  
circa illa, quæ tractamus, loca est, ut vix lineas tot de il-  
lis duxerit, quot folia nos illis tribuere sumus dignati.  
Non igitur opus nec fas est, ut sanctissimo & miseri-  
cordissimo Deo horribilem hanc & inexcusabilem Me-  
dorum crudelitatem, tanquam *efficienti causa*, tribua-  
mus, quasi hanc vel externa voce præceperit vel arcano in-  
stinctu ad illam impulerit: Sufficit enim ad istam præ-  
ceptionem & vocationem & excitationem providentia  
& gubernatio divina admirabilis, qua non tantum sen-  
tentiam hanc justam de utrisque tam evertendis Baby-  
loniis, quam eversuris Medis tulit Deus: scilicet hos esse  
idoneos, qui talia contra Babylonios faciant, & illos esse  
dignos, qui talia à talibus patiantur: Sed & libidinem  
belligerandi, spoliandi, trucidandi permisit, (quaermissio  
divina justum semper finem habet) simulque in sanctum  
justumque finem suum direxit. Quamvis enim belli-  
gerantes sua impulerit ambitio & crudelitas; Deus ta-  
men omnia gubernans, nescientes ad exequendum hoc  
judicium tam justum de Babylonis latum direxit. *Dicer.*  
allisionem tamen infantum excusari posse per Psal. 137. 8.  
ubi prædicantur *beati, qui infantes alliderent.* Sed resp.  
(1.) non Deum nec Davidem videri beatos ibi appellare,  
qui infantes alliserint, sed prædicere, quod allidentes se  
beatos sint prædicaturi, ut qui egregie rem gessisse suam  
sibi videantur: vel saltem (2.) non factum crudele, sed  
eventum potius justum l. c. approbari.

§. 5. *Deinde circa EXECUTORES divini illi-*  
*us præcepti sive decreti, de evertendis Babylonis, sc. ME-*  
*DOS,*

DOS, qvæstiones occurunt plures, & qvidem aliæ qvoad subiectum s. Medos ipsoſ ; aliaæ qvoad predicata, qvibus dicuntur sanctificati DEI, argentoſ non estimantes aurumq; non appetentes &c. Primò circa Subiectum s. Medos ipſoſ qværitur (1.) qvinam ſint populi, qui dicuntur hic Medi & unde oriundi, & qvibus ſub Regib; ad hæc usq; eversionis Babyl. tempora vixerint? (2.) an ſoli hic Medi intelligentur, an v. & alii, nempe Perſa includantur? (3.) qvinam ſint nominati Medorum & Perſarum Reges Ducesve, qvos Deus hic vocavit, & qvando per illos ipſe decretum illud ſuum de Babyloniiſ evertendis fit executus? (4.) Circa predicata qværitur, qvomodo crudeles Medi ſint & dicantur sanctificati Dei, qvomodo illos Deus sanctificaverit, vel juxta Jerem. 51. 28. sanctificari contra Babylonios iuſſerit? (5.) qvomodo iidem dicantur argentoſ non estimare vel aurum non appetere, cum milites vel maximè argenti aurique desiderio teneantur?

S. 6. Ad (1.) qvæft. qvinam ſint populi, qui dicuntur hic Medi, & unde, & qvibus ſub Regib; vixerint? resp. (1.) Medos Afiaæ majoris populos, profani qvidem autores paſſim à Medea aut Medea filio Medo derivant, vid. Justin. c. 42. 3. §. 6. Strabo l. ii. f. 362. Dieder, l. 4. f. 218. ſed hæc originatio Poëticas videtur fabulas redolere. Nos Propheticis S. literarum monumentis Gen. 10. 2. 1. Paral. 1. 5. fidem habentes, Medos à Japheti filio Madai ortum trahere cum Iosepho censemus, qyi lib. Antiq. Jhud. 1. 7. 13. Aſcribit: ab hoc Madai deſcendunt Graci Medinominiati, Conf. Sam. Bocharti Geogr. S. part. prior. Phaleg. l. 3. 14. fol. 219. Unde & iplum nomen מָדָא Madai, qvod alias juxta l. c. Japhetigenæ nomen eſt, in fonte h.l. retinetur, cum v. 17. dicitur: אֵת כְּנַנֵּי עַלְוֹתָה מִן־עִיר Ece Ego evigilare fa-

## 16 PARTIS II. ILLISTR. ISAIÆ LOCORUM

*cio (excito) super illos (contra illos) Tōr Madai, ut adeo nō men Genitoris Madai sumatur hic pro posteris à Madai oriundis. Hi enim occupatis Tauri jugis & convallis in nationem excrevere & qvicqvid terrarum sunt complexi ab autore gentis suæ appellantur Medium. Quid enim obstabat, qvò minus qvælibet Noachidarum gens, prout evalebat, sedes sibi adhuc patentes nullaq; regnum potentiâ divilas occuparet? Regio autem, qvam gens Madaisic occupavit, à Septentrione terminatur mari Hyrcano s. Caspio, nunc dicto mare de Sala: ab occalu majori Armenia & Assyria, à Meridie Persia, ab oriente v. Hyrcania & Parthia.*

§. 7. Hæc de origine Medorum. Qualiv. regimine & qvibus sint Regibus ad usq; hac eversionis Babylonice tempora usi, propter inferius dicenda simui hic anno. tasse refert. Principio a. non adeo constat, utrum gentis hujus imperium ab initio penes unum fuerit; vero tamen simile est, omnes more gentium liberarum in medium consuluisse; Principes v. familiarum graviora tractasse. Conf. Herodot. l.5.c.95. leqq & ex illo Diodor. l.2. f. 118. Non autem diu libertate tali fuisse gavisos, cum Ninus eosdem suo olim imperio subjecerit, in historiis proditum, qvæ tamen & jugum deinceps Nini excussisse Medos recentent; qvanqvam qvo ævo & qvo illud Nino contigerit & qvo tandem modo libertatem asseruerint, propter historiarum dissensum satis obscurum manet. Illud v. haut dubium est, qvin aliquamdiu libertate recuperatā sint usi, donec arte cuiusdam Dejocis Regibus subesse uis cœperunt. Is enim ipse Dejoces, justitiæ usu & gloriâ inter ipsos coruleans, in Judicem primò, deinde in Regem electus est. Qvam sanè dignitatem ut in posteros serie non interru-

pta

ptā transmitteret, præsidiis se munivit, sed bella non provocavit. Vid. *Herodot.* l. 1. à p. 95 ad 102. Filius tamen ejus Phraortes bella feliciter Persis, improsperè v. Assyriis morvit; qvanquam *Diodorus* l. 2. fol. 118. hæc de *Cyaxare* I. Phraortis filio referre amat. *Cyaxares* v. clade Parentishaut fractus bellum ursit & Asia sibi conciliatā Assyriisq; prælio superatis, imperium Medorum ultra Taurum veteresq; terminos, sub finem præcedentis §. memoratos, produxit, ita ut *Cadusii*, *Parthi*, *Persæ*, *Cappadoces* & supra Halyn reliqui Asiæ Populi Majestatem Medorum revererentur, ceu *Herodotus* recenset l. 1. 103, & seqq. cui tamen in qvām multis adversatur *Ctesias*, qui ē membranis se regiis singula studiolè indagasse dicit, ut & *Photius*, qui Herodotum fabularum confictorem appellare non verecundatur. De dissensu *Herodoti* & *Ctesiae* tum qvoad nomina numerumq; Regum, tum qvoad res gestas legi meritur *Diodorus* l. 2. fol. 118, 119. & *Photius* Bibl. Cod. 72. col. 107. 134. *Xenophon* a. lib. 1. de instit. Cyri fol. 3. 8. in medio consistens neq; abnuit neq; annuit omnibus Herodoti relativis. Nos litem hanc non facimus nostram, qui non historiam hīc scribimus, sed illa tannūm, qvæ ad Icopum collimare nostrū videbantur, ex historia annotamus. Hic ipse autē *Xenophon* tradit Cyaxaris hujus I. filium Astyagen filiam suam *Mandanem*, sororem Cyaxaris II. (qui communiter Darius putatur Medus) nuptam dedisse *Cambysis* Persæ ex eaq; nepotem Astyagis *Cyrum* esse natum probat. I.c. ast somnia Astyagis & suspiciones ejus de Cyro ignorat. Eundem *Cyrum* ex Persia ab Avo Astyage Medorum Regē accitum, in aula Medorum blandè in omnibus, qvæ Principem decent, artibus, præprimis in equestri disciplina, qvæ Medi præcellebant, educatum, idem ibid. recenset

28 PARTIS II. ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM

recenset fol. 8.b. seqq. sed prima castrorum rudimenta Cy-  
rum in expeditione adversus Assyrios Babyloniam appro-  
basse Cyaxari II. a vinculo s. Matris suæ Mandanis fratri  
(quem Darium esse Medium, ut dictum est, putant) & de-  
hinc quoq; Socero, ceu infra dicetur, copiasq; Cyaxaris  
& Cambysis Persæ junctas & Cyrum copiarum auxiliari-  
um imperatorem fuisse, idem Xenophon refert l.c. fol. 17.  
20. 22. 23. Expeditionem v. aduersus Babylonem fuisse tri-  
nam ex eodem Xenophonte patescit. Sed & hæc de Medoru  
Regibus hic annotasse nobis sufficient, qui lucem nonnul-  
lam quæstioni de *Dario Medo Cyrog;* divini hujus decreti  
de expugnanda Babylone executoribus, inferius propo-  
nendæ, fœnerari his ipsis instituebamus.

§. 8. Ut v. destinata ritè componamus, progre-  
dimur ad quæst. (2.) an soli hic Medi intelligentur executo-  
res divini de evertenda Babylonia decreti, an v. & alii, sc.  
*Persæ*, includantur? & respondemus, *Isaiam* quidem h.l.  
solos nominare Medos, sicut & *Jeremias* c. 51. n. dicens;  
*suscitavit Deus Spiritum Medorum;* imo & seqv. v. 28 ejus-  
dem cap. 51. idem *Jeremias* nomine Dei Medos jubet contra  
*Babylonios sanctificari,* & *Duces eius & universos Satrapas eius*  
&c. Qvod autem nominatis sic *Medis* non excludantur  
*Persæ*, quorum regio finima est Media, ceu præced. §. 6.  
dictum, illud (1.) vel ex *Danielis Prophetia* c. 5. 18. 26. 27.  
clarescit, ubi *Medos & Persas* conjungit. Scripturam e-  
nim prodigiosam Regi Babylonico Belzazeri divinitus  
propositam, & quidem vocem ejus quartam, *ברס וברס* & divi-  
dentes sc. sunt, interpretaturus Daniel, ita ad Regem de  
scripturæ interpretamento solicitum ait *ברס פירוש* *מלכ overt ויהיבת לסר וברס* *divisum* (*abruptum*) *est regnum tuum & datum Medis ac Persis.* Ad quæverba *Gro-*  
*tius* quidem scribit, in voce *Pharsin* duplēm esse significatio-  
nem,

nem, ita ut *ε* abruptum significet & ipsos Persas, qui abrupterunt; At verò B. Calovius: non opus, inquit, duplice illa significatione est: de Persis enim mox sequitur. Qvod ex revelatione babere Daniel poterat, non collegit e' vocis *ἰρωνία*. In Bibl. Illustr. ad Daniel, l.c. Interim tamen nobis cum B. Gejero & Vatablo non improbabile videtur dicere, divinam sapientiam voce *Peres* & *Paršin* ad hos ipsos simul *Persas* respexisse vel allusisse, qvi præcipuas partes post deletam Chaldæorum Monarchiam in orbe tunc obtinuerunt, vid. Gejer. Comment. in Dan. l.c. p. 438. Eademenim radice gaudet vox quarta scripturæ illius prodigiose, quam nomen *Ῥῆβα* habet, qvod *Persam* l.c. ap. Danielem & Esther. 1.3. designat, sc. R. *רְבָעֵה* dirigit, dirupit. Præterea (1.) constat, Medos & Persas ita in unam coaluisse gentem, ut Græci Medorum saepe Imperium vocarint, qvod erat Medorum & Persarum. Similiter & Scriptura S. Medorum & Persarum Imperium pro uno eodemq; habet, eo qvod unita hæc duo unum constituerint & vix uspiam Medorum Imperium à Persis eversum esse tradit. Cur v. Medos potius quam Persas Propheta noster & Jeremias nominent, cur item Daniel c. 5.v. 31. solum nominet Darium Medium, tacito Cyro Persa, qvi tamen etiam Regem Babyloniam Belsazerem vicit, ceu inferius ad quæst. 3. Obiect. 9. pluribus exponetur, rationes hæ sunt, qvia (1.) Medorum partes primæ fuerunt: nam Cyrus à Dario Medo, penes quem regnum erat Medorum & imperium in Persas, quorum præfectus ab initio erat Cyrus, imperium accepit (2.) qvia Darius Medus, quam profani Scriptores Cyaxaren vocant, avunculus Cyri fuisse putatur, ceu ad præced. quæst. sub finem ex historicis memoravimus. Conf. & seq. §. 16. (3) qvia Darius bellum hujus autor præcipuus fuit Cyrusque ab illo in auxilium vocatus (4.) qvia

E

ætatis

PARTIS II. ILLUSTR. JSALÆ LOCORUM

ætatis dignitate Darius in relatione ad Cyrus præcellebat: Darius enim t.t. 62. annos erat natus, juxta Dan. 5. 31. Cyrus v. tantum 40. uti Cicero tradit l. 1. de divinat. Conf. Pererius l. 6. Comment. in Dan. p. 394.

§. 9. Probato jam Medos h. l. nominari Persasq; includi, qværitur (3.) quinam nominatim illi fuerint Medi ac Persæ, vel Medorum ac Persarum Reges Ducesve, quos Deus hic vocavit, excitavit, sanctificavit, Et quando per illos met ipse suum de expugnanda Babylone decretum sit executus? Qvæ qvæstio prioribus difficilior, expediri non potest, nisi Prophetiam Danielis c. 5. rursum conferamus, & consultis simul profanis scriptoribus multa mox dubia resolvamus. Communiter autem respondetur, *Darium Medium*, cujus mentio habetur Dan. 5. v. 31. & c. 9. 1. ut & *Cyrum Persam*, quem idem Daniel. c. 6. ult. & c. 1. ult. laudat, nominatim esse Reges Ducesq; illos, quos Deus adversus Babylonios vocavit, hosq; Babylonem obledisse & eadem nocte, qva Belsazer, ultimus Rex Babylonicus splendidis indulgens epulis juxta Dan. 5. 30. fuit interfectus, cepisse, statimq; Belsazari interfecto Darium Medorum Regem & anno vix elapsò *Cyrum Persarum Ducem*, Darii sororis filium & dehinc generum, successisse, ut adeo Belsazeris inter epulas interfecti historia, cum illa, qua Darius ac Cyrus Babylonem expugnarunt, pro una sit babenda. Hæc sententia est Josephi l. 10. antiq. ita scribentis: obessa Babylone à Medis & Persis, Dario videlicet ac Cyro, in tantam venit Belsazer Rex oblivionem sibi, ut celeberrimum iniret convivium & ex vasis templi bibere & obcessus vacaret epulis. Eodem quoq; tendit Cluverius Epitom. hist. p. 66. Persæ, inquietus, Medis, eadem nocte somorum tenuis aquis immersi in urbem penetrarunt, Babylonios vino semnoq; sepultos confertim trucidarunt. Gadatas & Gobrias

*Gobrias Tribuni, oppressis excubitoribus arcis Regem ipsum, districto acinace nequicquam se defendantem, obtruncarunt.* Eidem non tantum Hieronymus in Dan. & Gejerus in Dan. l. c. item Calovius in Bibl. illustr. ad Dan. 5. 31. & Pererius Comment. in Dan. lib. 6. sed & plerique hodie Chronologi suffragantur. Pro eadem qvoq; sententia facit Xenophonis relatio, qvippe qva disertè is tradit. *eadem nocte, qvæ Babylonii diem festum agentes, ludis & convivio vacabant, urbem Babel captam Regemq; in urbe neci datum esse, idq; indicio duorum transfugarum Babyloniorum, Gadata & Gobria, qvippe quo Cyriani milites in regiam noctu fuerunt ducti, ubi primum Regis custodes, deinde ipsum Regem trucidarint.* vid. Xenophon. l. 7. de pædia Cyri & Herodotus l. 1.

§. 10. Ceterū communiori huic intentiæ contraveniunt non omnino nulli, cum primis *Scaliger, Calvius, Bebbius, Grotius & ipse noster Varenius* (incomparabile nuper Universitatis nostræ lumen columenque, qvippe qvo ipsa per 40. & qvod excurrit annos refulsit) statuentes aliam planè historiam esse interfecti Belsazeris & successionis Darii, natione quidem Medi, sed domo Babylonii; & aliam expugnationis Babyloniarum Duce Dario vel Cyro factæ, falsumq; adeo dicentes, ea nocte, qvâ Belsazer est interfectus, Babyloniam esse à Dario vel Cyro expugnatam. Rationes etiam, qvibus illi nituntur, plausibiles quidem, non tamen firmæ satis videntur, uti ex seqv. rationum allegatione & responsione nostra patet. Ratio autem (1.) est, qvia *Darius Medus, intersecto Rege Belsazere, regnum non armatâ manu occupavit, sed נִכְבַּד i. e. accepit*, uti Dan. 5. 31. disertè legitur; putant enim verbo hoc talēm notari *acceptionem rei*, quæ de manu in manum fieri solet, & nunquam illud de *acceptione*, quæ fit

## 32 PARTIS II. ILLUSTR. JSAIÆ LOCORUM

armata manu , adhiberi (2.) qvia Dan. 9. 1. idem *Darius dicitur* בָּבֶל in Hophal s. regnare factus h. e. solemnis Senatus consulto Procerum Babyloniae Rex constitutus : Hoc enim verbum juxta ipsos talem designat, qui vel successionis vel electionis jure ad regnum evehitur. Si ergo Rex factus est Darius (ita concludit hic Scaliger) factus est vel jure electionis vel successionis, non v. occupationis, adeoque Darius, qvidem origine Medus domoq; Babylonius, non autem Rex Medorum fuit (3) qvia altum bac de re silentium apud Danieliem est, qui cap. 5. Belsazeris qvidem noctu imperfecti meminit, urbis v. captæ nullam omnino mentionem habet; ; quam v. habuisset, si capta urbs eadem nocte fuisset. Quæ tria sane dubia laudatus jam *Varenius* Comment. in Jsaï. ad locum Jsaï. 13. v. 2. part. 2. p. 5. iisdem terè verbis proponit, quibus ego non ita pridem motus, præcedente qvidem Dissertatione I. ad Locum II. §. 7. p. 18. in fin. cum eodem negavi, Babylonem eadem nocte captam esse, qva Belsazer occisus (cum scil. ibi quartam Jesuicæ Sancti rationem, à nocte expugnationis Babyloniae petitam, qvam ille pro Vulgati monte caliginoso inter alias afferebat, nauci esse ostenderem ) nunc autem re ipsâ rectius expentâ, ut ingenuè affirmem, rationibus aliis benè multis inducor.

§. II. Ante verò qvām plura adversæ partis dubia producamus, ad trigam modò productam statim respondeamus. Et quidem ad (1.) dubium, à verbo קְבַּק i.e. accepit petum, resp. argumento consequentiam inesse nullam, cum sit à particulari. Neq; enim sequitur, verbum קְבַּק (unde vox Cabbala) hic & illic significat accipere aliquid de manu in manum, ergo semper, ergo non etiam significat apprehendere vel accipere sine traditione in manum. Etenim 2. Chron. 29. 16. dicuntur Sacerdotes magistri boves

et aco

*& accepisse יכּוֹן sanginem:* Ubi sane l<sup>a</sup>nguis non est Sacerdotibus in manum traditus, sed acceptus, apprehensus cum mactarentur boves. Ita & captâ Babylone & mactato quasi Rege ejus Belsazere, Darius accepit potestatem Regni i. e. *sibi arrogavit*, q̄eu exponit Gejerus, Comment. in Dan. c. 5. p. 443. Vel accepit à proceribus regni devictis. Conf. & 1. Chron. 12. 18. Non ergo cum B. Calovio h̄ic facimus, q̄vi in Bibl. illustr. h. I. p. 689, ad hoc dubium respondet, Darium Medium à Cyro Persa victore, vel juxta alios à Gobria & Gadata traditum accepisse Chaldæorum regnum. Nam Darius ipse Rex Medorum, penes quem sane imperium tunc in Persas erat, cuiusq; nomine cuncta fuerunt à Cyro Persarum præfecto gesta, potestatem regni, interfecto Belsazere, sibi arrogavit, adeoq; & jure gladii, Cyro non contradicente, accepit, ita tamen ut ipse, cum in oppugnatione Babelis primas obtinuisse partes perhibeat, de Chaldæorum ditione aliquid acceperit, atq; ita *inter Medos Persasq; divisum Belsazeris regnum*, juxta scripturam Danielis c. 5. 28. fuerit. Conf. Xenophon l. 7. de institut. Cyri.

§. 12. Ad (2.) Objectionem, à verbo *מלך* in *Hophal*. i. e. *regnare factus est*, ex Dan. 9. 1. desumptam, resp. non tantum electionis & successionis jure aliquis Rex constituitur, sed & belli jure, Deo sic regna transferente. Igitur sicut Deus 1. Reg. 1. 41 & c. 3. 7. dicitur *מלך* in *Hiphil* i. e. *regnare faciens* Slomonem, & conseq̄enter Slomo dici potest *מלך* in *Hophal* i. e. *regnare factus*, à Deo sc. providente, licet interveniente successionis jure: ita & Darius Medus Dei providentia & constitutione, juxta Prophetarum Jsaiae, Jeremiæ & Danielis vaticinia, intercedente belli jure, Cyriq; Persarum Ducis, auxilia belli sub-

mittentis, consensu dicendus est *regnare factus i. e. Baby-*  
*loniae Rex constitutus.*

§. 13. Ad(3.)Obj. ab alto Danielis silentio petitam,  
*resp.* consequentiam esse nullam: Daniel enim (1.) plura  
 silentio quam hæc præterivit: nam, e.c. à Nebucadnezare sta-  
 tim transit ad Belsazerem adeoq; intermediorum Régum  
 Babyloniorum, nempe Evilmorodachi & Neriglassaris, Ne-  
 bucadnezaris successorum nostriq; Belsazeris prædeces-  
 torum tempora negligit, eo qvod per illa nihil contigerit,  
*quod ad Iudeos in pietate confirmandos pertineret*, uti Gro-  
 tius loquitur ad Dan. s. i. Neq; (2.) Daniel historicum ex  
 professo agit, sed Prophetam: igitur non totam Belsa-  
 zeris belliq; à Dario Cyroq; contra ipsum gesti histori-  
 am enarrat, qvod historici faciunt; sed ea tantum hoc &  
 aliis Prophetiæ capitibus memorat, quæ vel ad regno-  
 rum translationem, vel ad religionem, vel ad visiones su-  
 as & miraculosam sui liberationem spectabant. Idq; vel  
 inde clarescit, qvod capit. 3. historiam, contra ordinem  
 temporum, ante septimi & octavi capitum historiam lo-  
 care voluerit. Nam seqq. 7. & 8. capitibus illa enarrat  
 Daniel, quæ primo & tertio Belsazeris anno contigerunt;  
 sed præsenti cap. 5. recenset, quæ ultimo demum vitæ  
 & regni ejus anno acciderunt. Qvod v. propterea Pro-  
 phetiæ Danielis capita non sint dicenda confusè posita,  
 sed certa dispositionis capitum ratio subsit, hoc *Pererius*  
*prolixè exponit l. 6. Comment. in Dan. p. 362.* nos v. brevi-  
 tatis causa præterimus; quinquam facere non possumus,  
 quin adhuc verba *Gejeri* apprimè huc facientia, ex Com-  
 ment. ejus in Dan. p. 388. adducamus: *Cum, inquit, Da-*  
*nielis institutum habuit fuerit historiam texere, sed solum evenia*  
*propria sub uno alterove Rege in honorem DEI consignare, à Ne-*  
*bucad-*

bucadnezare hic transit ad Belsazerem, ut sic historica absolvaret, antequam visiones, quae tamen tempore priores fuerunt c. 7. & 8. inchoaret.

§. 14. His tribus dubiis sic resolutis ad reliqua properamus. Objiciunt enim (4.) ex Jerem. 51. 31. qvod Rex Babylonie, tempore expugnationis à Cyro factæ, non fuerit Babylone, sed longius abfuerit adeoq; dicta expugnationis nocte interfici non potuerit: nam juxta l.c. cursores jubentur Regi Babylonico nunciare, captam esse urbem τηρούσαι. Sed resp. verba Jeremieæ non probare id quod erat probandum, sc. Regem Babylonicum tempore expugnationis hujus longissimè ab urbe Babel abfuisse. Babel enim summâ amplitudine urbs & regio ni quā Civitati similior erat, ceu Aristoteles Politic. I. 3. c. 2. tradit. Unde & juxta Herodotum I. I. c. 191. urbe jam in una extremitate ab hostibus capta, triduo id alii in media vel extrema Civitate habitantes non senserunt. Hinc rectius illa Cursorum ap. Jerem. verba considerari merentur: nam *capta est urbs*, a iunct Cursores, τηρούσαι. e. (non ab omni parte, ceu nonnulli reddunt; ad quid enim tunc cursorum indicatus? sed) à fine vel ab una extremitate.

§. 15. Obj. (6.) qvod nec credibile nec vero simile videatur, Belsazerem usq; adeo recordem & periculi incogitantem fuisse, ut eo tempore, quo periculosisima obfitione premebatur, securus & otiosus epulis indulserit ludosq; cum suis dissolutissimè agitarit adeoq; illis durantibus & viclus & occisus fuerit, & binc sequatur, historiam convivii obitusq; Belsazeris & expugnatae urbis pro una babendam non esse; sed Resp. (1.) de veritate unius ejusdemque historiæ (sc. convivii obitusque Belsazeris & expugnatæ urbis) dubitare nos profani scriptores non finunt.

sinunt. Nam Herodotus l. i. & Xenopb. l. 7. de pedia Cyri disertè affirmant, Regem Babylonie cum suis eum diem, qvo Babylon à Cyro capta est, tanquam festum publicis saltationibus ludis, & conviviis celebrasse totamq; noctem maximo luxu trans- egisse, quin & undem diem à Cyro ad invadendam urbem electum esse propterea quod intellexisset diem illum maxime festum Babylonis celebrari ipsosq; eodem festo die propter convivia vino oppressos somnoq; sepulos adeoq; incertos & ad defensionem imparatos invalidosq; futuros esse. Et hinc (2.) satis clara apparet ratio, ob quam credibile pariter ac verosimile illud videtur, qvod in quæstione est. Nam creditur dies ille, qvo Babylon inter epulandum capta & Belsazer occisus, Belo tanquam præcipuo Babyloniorum idolo fuisse festus, quem adeo Belsazer, à Belo nomen habens, sine anniversaria celebritate nec voluit nec potuit præterire. Qvanquam (3.) juxta Sanctum aliosque (quod & B. Calovio in Bibl. illustr. ad Dan. 5. p. 607. vero simile videtur) Natalis fuisse Regis vel memorialis dies putatur, qvo ipse regali coronâ fuit insignitus, qui sanè dies Cyro ex superiorum temporum consuetudine non tuerit ignotus adeoq; expugnationi urbis tanquam maxime modus meritò dicatus; ut alias plures ap. Pererium l. c. p. 366. & 367. adducas rationes omittamus. Ex quibus tamen primam nos, de Beli festo cum B. Gejero in Comment. Dan. p. 390 præferimus, præsertim cum Belsazer inter epulas etiam Deos suos (de quibus videatur Barucb. c. 6.) commemo- raverit ac laudarit.

§. 16. Obj. (6.) qvod Belsazer non ille ipse videatur esse, quem Darius & Cyrus inter epulas oppugnarunt, qviq; ea- dem nocte occisus, cum historiæ alium prorsus nominent: Nam Berolus & Josephus l. 10. antiq. vocant Nabonidum; Herodotus v. l. 1. Labonitum, literis L. & N. facile permutatis. Scaliger denique & Grotius statuunt non alium posse Bel- faze-

lazerem esse quam *Laborosardochum* juxta Berosum &c. sed Resp. (1.) Reges Babylonie ad imperium accedentes, nomen mutare solebant, teste Scaligero de emend temp. l. 6.(2.) Non insolens in historiis tam facris quam profanis est, unum hominem esse polyonymum c.c. Rex Iudae *Uias* z. Chron. 26.1. appellatur quoque *Azarias* z. Reg. 15. 1.2. Filius Joram i vocatur *Achazia*. Chron. 3.11. & *Jehoachaz* 2. Chron 21.17. *Achis* Rex Phili stae in Gad 1. Sam. 21. 20. vocatur quoque *Abimelech*. Pl. 34. 1. (quo dupli Regis nomine non observato in quos allegoriae labyrinthos devenerit Augustinus in Comment. ad Pl. 34. videatur ap. Sixt. ab Amama in Antib. bib. p. 625.) *Saulus* nominatur etiam *Paulus* Act. 13. 9. Vid. plures Polyonymos ap. *Glossum Phil. Sacr.* 1.4. Tr. 3. Obs. 12. Similiter *Darius* *Medus* Dan. 5. & 6. & 9. sic vocatus, à LXX. nominatur *Artaxerxes*, & apud Xenophontem appellatur *Cyaxares* juxta sententiam *Josephi* l. 10. antiq. item *Hieronymi* in Dan. 5 & 9. & *Lyrani* in Dan. 6. & 9. &c. cum in Darium hunc Medium quadrant, quæ de Cyaxare prodit Xenophon l. 7. de Cyropædia. Conf. *Pererius* l. 6. comment. in Dan. p. 362. 363. & l. 7. p. 413. & 415. Cur ergo varietas nominum hic obstaret? Qvod v. (3.) Belsazer sit ille ipse, quem *Josephus* & *Herodotus* aliiq; alio nomine indigitarunt, id certè certi characteres & circumstantiae, quæ juxta autores in una hic persona concurrere debent, scilicet ultimum esse *Babylonis Regem*, cumq; tempore e pularum & ludorum esse intercūm urbemq; simul captam, sic satis evincunt. Hæc enim omnia in Bellazerem quadrant (4.) Ad Scalig. Et *Grotii* sententiam de Laborosoardocho resp. breviter, obstare ipsi charæteres & circumstantias Regis, à quo imperium in Medos Persasque translatum est, de qvibus conf. *Caloy. Bibl. illustr.* ad Dan. 5.30.

§ 17. Obj. (7.) qvod historici supra laudati & alii Belazerem hunc, dictum alias *Nabonidum*, perhibeant à *Cyro*, cum fese dedisset, non modo vitâ sed & commoda habitacione in provincia *Carmania* donatum, ubi aliquandiu vixerit & debine naturali morte defunctus fuerit. Sed res pro profana cedere lacris Dan. 5. 30. debent, quæ nos docent, Regem Babylonie ultimum Belsazerem (*Nabonidum*) esse interfectum (2) Xenophon l.c. dilectissimis memorat verbis, Regem Babylonis capta urbe in palatio suo strenue & districte arinace dimicantem à milibus *Cyri* intererum effe. Et hoc (3.) similimum vero est. Sienim Cyrus tantâ hostem clementiâ fuisse prosequutus, sanè Græci Scriptores, virtutum laudumque *Cyri* prædicatores effusissimi, præsertim Xenophon, qui octo libros de *Cyro* conscripsit, tantum clementiæ *Cyri* exemplum silentio non involvisset, Conf. *Pererius* l. c. p. 390.

F

§ 18. Obj.

§. 18. Obj. (8.) quod idem Rex ab iisdem Autoribus non Babylonie sed Borissippi in arcem munitissima, ad quam auditio Cyri adventu cum paucis fugerit, divisione capius referatur; sed Reth. Xenophon tamen l. c. diserte satis memorat, Regem illum Babylone inter epulas captum & trucidatum esse, quod & cum Danielis historia magis concordat, qui sanè licet Babylonis non diserte hic meminerit, ex ipsis tamen relationis ejus circumstantiis sic satis colligitur, Babylone hunc Regem esse captum & quidem tunc temporis, cum Optimatibus mille splendidissimum parasset convivium Dan. s. 1. Tantum v. convivium ille Borissippi parare tot Optimatibus non potuit, ut pote quorundam cum paucis (teu ipsis Autores referunt) confugit. Conf. Pererius ibid. p. 390.

§. 19. Obj. (9.) quod profani scriptores omnem expugnationem Babyloniam visoriā uni tribuant Cyro, quam Daniel Dario Medo, uti Iasias b. l. Medio, assignant, resp. (1.) Xenophon tamen refert, Darium Medorum Regem, quem Cyaxarem vocat & Cyri avunculum dicit, principem atq. autorem belli bujus inferendi fuisse simulq. Cyrum t. e. Persarum praeſum ad bellum hoc confidendum in auxilium accivisse. Quod v. idem Xenophon addit dicendo, Darium (Cyaxarem) ad custodiā regni cum aliqua parte exereitus in Media remansisse, cum Cyrus potissimā exercitus parte stipatus Babyloniam oppugnaret, id non probabile videtur: siquidem ad necem Belsazeris convenisse Medos Persique ostendit Daniel c. 5. 28. dicens: divisum est à te regnum & Medis Persisque datum, & postquam retulisset, quomodo id citò impletum & eadem nocte Bel-sazer ultimus Chaldaeorum Rex fuerit interfactus, statim v. 31. seqq. subiecit verba: Et Darius Medus accepit Regnum. Igitur verosimile est Darium Medium & occupationi urbis & occisioni Regis interfuisse. Unde & Josephus l. 10. antiqui (quem Hieronymus lequitur) confirmat, bellum hoc Babylonicum à duobus Dario Medorum Rege & Cyro Persarum Principe esse gestum & consecutum. Ratio cur Græci victoriam uni Cyro tribuant, non est una: nam (1.) Græci in annalibus Persarum, qui Cyro Regis suo omnem victoria laudem asseruerunt, ita invenerunt (2.) Græci vel maximè inter omnes barbaros favebant Persis horumq; res gestas magnificiebant, (3.) Penes Darium s. Cyaxarem uno tantum anno imperium Babylonicum fuit, & Cyrus defuncto mox avunculo suo simulq; successor, cum haerede is masculo non gauderet, successit. Cura. Daniel in contrarium, preterito plane Cyro Persa, solum nominet Darium, uti Iasias solos b. l. Medos. Iuprā jam ad qvæst. 2. p. 29. est ostensum. Non igitur dubitandum, quin Darius Medus & Cyrus nominatim sint illi, per quos decretum hoc suum, Deus fuit executus, hosq; eadem nocte jam dictâ urbem occupasse.

§. 20. Expeditis jam circa Subjectum qvætionibus, progredimur ad predicationem, adeoque ad qvæst. (4.) qua qværitur, quomodo crudelis Medi sint & dicantur sancti

*sanctificati DEI?* Respond. verbum וְרָא אֲנִי מִקְרָא קֹדֶשׁ לְךָ  
 quam Vulgatus & Luth. reddunt: *sanctificatio mea*, præter significationem  
*sanctificandi* (qvæ ad spiritum regenerationis & illuminationis referunt a deo q;  
 renatis est peculiaris) etiam per translationem, à sacrificio vel à iib⁹ templi  
 deductam, habere significationem *separandi segregandi preparandi consecranti  
 destinandi*: sacra enim facturi separabantur ac prius se parabant, imo & sa-  
 crificia multis indigebant præparationibus. Sic Exod. 13. 2. קָרְבָּן-לֵי sanctifi-  
 ca mihi omne primogenitū i.e. separa. Jer. 1. 5. antequam exires utero הַקְרָבָה  
*sanctificari te* i.e. separavi & destinavi te ad officium Propheticum, ceu proximè  
 sequentia ostendunt. Conf. & 1. Sam. 16. 5. Jerem. 23. 3. Ezech. 48. 11. Lev. 27.  
 14. &c. Atq; hanc significationem *præparandi vel separandi* etiam præsenti  
 convenire loco quis duhitaret? Deus ergo bellatores Medos Persas appellat  
*sanctificatos suos*, non à *sanctitate interna* s. à purificatione cordium per illu-  
 minationem Spiritus S. ad fidem & charitatem: siquidem illa his militibus  
 ethnicis planè non convenient; Sed à *sanctitate externa* i. à præparatione,  
 separatione & quasi conleeratione ad sancta Dei ministeria h. e. ad execu-  
 tionem ira ejus & sententia contra populi DEI angustatores latæ. Lieet enim  
 milites perversa libidini ac cupiditatibus suis tempore belli servientes, non puri-  
 sint corde nec sancti, sed impuri latrones ac prædones; quando tamen Dominus  
 opera splorum uititur, ipsiq; divinas exequuntur sententias, sanctum certè  
 opus Dei perficiunt, tametsi hoc ipsis ita destinatis minime sit cognitum & pro-  
 possum. Monendum tamen & hic erit, non opus esse, ut præparationem illam  
 (ut supra vocationem atq; excitationem, ad quest. 1.) efficienter Deo tribuamus;  
 sufficit enim ad istam præparationem DEO tribuendam tum permisso divina,  
 qvæ justum semper finem habet, tum gubernatio divina, qvæ præparatos à le  
 ipsis in justum sanctum que finem moderatur.

S. 21. His ita se habentibus frustra est *Sanctius*, dum in Comment. Isa p. 151  
 rationem hujus *sanctificationis* petit vel (1.) à *sanctissimo auore Deo*, qvo auspice  
 bella haec suscepta: vel (2.) à *consuetudine*, qua olim tam ap. profanos qvām  
 ap. Christianos bella Dei causā vel pro religione suscepta, dicebantur *sacra*: vel  
 (3.) à *militari sacramento*, quo milites qv. bello iniciati designabantur & sancti-  
 ficabantur: vel (4.) ex loco Jerem. 6. 4. & Joel. 3. 9. ubi bellum qvoque *sancti-  
 fieri* jubetur; in qvibus tamen locis non minus qvam in superioribus, pro  
 nostra sententia adductis, *sanctificari* idem esse qvod *præparari* putamus, q.d.  
*præparate bellum contra eam*, ceu re Etè habet Jesuitæ Christophori à Castro  
 paraphrasis in Comment. super Jerem. loco nobis objecto sc. c. 6. v. 4. Ubi &  
 Lutherus noster bene: Rüstet euch zum Kriege wieder sie, vel indicite bellum, ceu  
 ejusdem Jesuitæ paraphrasis habet in Comment. super Joel, ad alterum San-

Eli le

Gloria

## PARTIS II. ILLUSTR. ISAIÆ LOCORUM

*Alii locum sc. Joel. 3. v. 9. &c.* Sufficit autem nobis, qvod ipse tandem *sanguis* relictis rationibus hilce ad nostram explicationem tanquam veram accedat.

§. 22. Restat qvæst. (§.) circa prædicatum, qvomodo hic de *Media* prædictetur, qvod argentum non estimaverint nec aurum appetiverint, cum milites vel maximè argenti auriq; desiderio teneri soleant? Resp. breviter spatio exclusi, negare id Prophetam non absolute sed comparet q. d. tantus erit illis furor ad trucidandos homines Babylonios, ut ne cogitatur sint de opibus illorum diripiendis. Vel: non estimabunt aurum, si forte illud in *Angor* à Babylonis offeratur, sed sanguine Babyloniorum iudic & paryulorum & fructus ventris crudeliter delestantur. Conf. seqv. & præced. v. 7.8.

§. 23. Usu loci denuo contra *Anabast.* & *Socin.* conspicuus est in qvæstione, an bellum sit licitum? Si enim Deus hic *Medos Persaq;* vocavit, excavarit & *sanguiscavat* ad expugnando Babylonios h. e. admirabili divinâ providentia decrevit bellum Babylonis per Medos inferendum, ut supra expliculum, quidni bellum esset licitum, si modò justum fuerit, & qvidem non in V. tantum sed in N. qyoqve Testamento? Ubi enim bellum à Deo ad solum V. T. est restrictum & ubi approbationem belli in V. T. factam, in N. T. retractavit? Conf usus loci præcedent s. II.

§. 24. Deniq; abusus loci hujus & similium conspicitur apud *Reformatos*, in qvæstione de *causa peccati*. Cum enim Deus hic vel illic in scripturis dicitur *vocare*, vel *excitare* hos vel illos contra hunc vel illum populum, iisque tanquam virgâ s. baculo uti, ceu supra *Isai* c. 10. 5. de Assur fuit prædictum, tunc seqvi putant, *Deum esse causam peccati*, crudelitatis sc. direptionum & homicidiorum, quæ in bello sunt, docentq; voluntatem hominis non suo motu sed ab interno DEI instinctu vel impulsu ferri, haut secus ac instrumenta non suo feruntur motu, sed ab impulsu ejus, qui principaliter agit, in solidum dependent. Conf. *Berz part. 2.* Resp. ad *acta colloq.* *Mompelg.* p. 180. Nam ab *instrumentis* inanimatis ad animata, vel à propriè talibus ad impropriæ N. V. C. Licer enim illic Assur & hic. Medi Persaq; fuerint instrumenta Dei vel *causa media*, qvibus Deus ad hos vel illos affigendos & diripiendos sit usus; non tamen sunt inanimatae proprièq; dicta, cum ipsi etiam principales sint eaq; liberae actionum suarum causæ; quanquam non sunt absoluti actionum suarum Domini, sed divinæ directioni subsunt & voluntati subservire DEI necesse habent, adeo qvidem, ut ubi Deus exercere vult vindictam, is hominibus bellicosis utatur & actiones ipsorum moderetur. Hinc aliud est prava hominum tyrannorum libido; aliud permissio & directio Dei. Illa non est à Deo, sed ab ipsis Tyrannis, ceu de Assur palam dicitur *Isai* 10.7.

hæc v. à Deo est justo, cui sit perennis

GLORIA!

**Coroll. Respondentis de Prædestinatione.**

1. Prædestination alia est bonum ad eum munus, ut Medorum ad eversionem Babelis, alia ad salutem aeternam.
2. Prædestination bonum ad salutem facta est ex merita Dei gratia absq; ullo operum intuitu.
3. Prædestination tempore quidem ex natura prior est fide et merito Christi; utrumque tamen illius causa recte censetur.
4. Electi licet excedere gratia possint; nullus tamen ex numero ipsorum finaliter deficere et aeternum perire potest.
5. Numerus electorum certus est; quivis tamen augeri vel minui posuerit dubium non est.

Eximio plane et preclarè docto DN. ULR. Darjes/

DE

MEDIS ad EVERSIONEM BABELIS à DEO vocatis, sanctificatis &c.  
Disputando novum industrie specimen publicitus edituro

FELICITER!

**N**uper Odoratus + Nezer Tibi grata sacrati  
Materies studii causaque laudis erat;  
Et nunc, quam statuit Babylon Semiramis urbem  
Medus at evertit, pensiculare placet,  
Judiciumque Dei, quo pugnax Medus ad illud  
Santificabitur, jam meditaris, onus.  
Sedulus \* hinc non erideris: Qvis rideat illum.  
Qui facit, assiduum quod decet usq; Virum?  
Sedulus ast arrides hic doctisq; bonisq;  
His ego subscribens talia vota fero:  
Te quoq; Cunctipotens jubeat, volet, excire, ut me  
Sis Babylonis + onus sisq; Sionis honor.  
Et pugnax uti Medus erat victorq; Babelis,  
In bellis DOMINI sic quoq; fortis oves!  
¶ Respicitur ad Disp: nostram de odoratu surculi Jeschani, ex Iai. XI. 3. quo  
partis I. est vigesima & d. 13. Jan An. 1692. ventilata,  
Huldericus Darjes; Anagr. Sedulus hic rideat?  
¶ mystica. arride.  
LMq;

A. D. HABICH HORST, D.

Dum Tibi Divini defendere lemmata verbū  
Atque operi laudem conciliare Tuo  
Instituis, specimen meritō Tibi grator, AMICE,  
Augmenta & studiis cottidiana precor.

Floren:iss. Dn. Resp. iestandi benevoli animi c.f.

JO. FECHT D.P.P. Consist. Adl. &  
Distr. Rost. Superint.

Judicium dum DAR JESI scrutare BABELIS,  
Quām stent in lubrico máxima qvæque vides ;  
Si pietas abſit. Pietas ex hilice ruinis  
Scit duraturas ædificare domos.

Ita de laudabili scrutinii Bibliici specimine Nobilis.

Dn. Respondenti grar.

SAMUEL STARCKIUS. Th. D. & P. P.

In magnis NOSTRO certandi quanta voluptas,  
Præclaræ famæ quæ fuscipit ardua monstrant.  
Dissolvas bellè nodum, sic jure vigebis.

Clarissimo Domino Responsuro, ob Eruditionis mo-  
rumque præstantiam omnibus commendando,  
bisce pauculis, inter labores, applaudeb.

H. C. TIELCKE. D. P.P.

DE MEDIS simul atque BABEL dum disseris, opto,  
Sis MEDO similis, fortior hoste, valé !

Præclaris præclarè doct: Dni. Respondentis  
conatibus applaudens scrib.

M. TIMOTHEUS Lütkemann.  
Malch. Meckl.

G bricht dein Fleiß herfür/ den du der Weisheit gibest  
Indem zum andernmahl du zur Cachez gehst ;  
Ich wünsche/ daß wie du die Weisheit embig liebest  
Wald ihren Lohn empfahst und vor dem Altar stehst.  
Seinem Brüderlichen Freunde schrieb  
dieses in eil

J. C. SCHLORFF Rok. Jur. Send.

(O) 30





Coroll. Respondentis de Praedestinatio  
1. Praedestinatio alia est hominum ad versum munus  
ad eversionem Babelis, alia ad salutem aeternam.

2. Praedestinatio hominum ad salutem facta est ex  
absq; ullo operum intuitu.

3. Praedestinatio tempore quidem ex natura prior et  
Christi; utrumque tamen illius causa recte censeretur.

4. Electi licet excidere gratia possint; nullus tan  
ipsorum finaliter deficere ex aeternum perire potest.

5. Numerus electorum certus est; quin tamen a  
posuerit dubium non est.

Eximio plane ex declarare docto DN. ULR.


DE

MEDIS ad EVERSIONEM BABELIS à DEO vocatis, sa  
Disputando novum industria specimen publicitus

FELICITER!

Nuper Odoratus + Nezer Tibi grata fac  
Materies studii causa que laudis era  
Et nunc, quam statuit Babylon Semiramis u  
Medus at evertit, penitulare placet,  
Judiciumque Dei, quo pugnax Medus ad  
Santificabatur, jam meditaris, onus.  
Sedulus + hinc non rideris: Qvis rideat ill  
Qui facit, assiduum quod decet usq; Vir  
Sedulus ast arrides bte doctisq; bonisq;  
His ego subseribens talia vota fero:  
Te quoq; Cunctipotens jubeat, volet, exci  
Sis Babylonis + onus lisq; Sionis hono  
Et pugnax uti Medus erat victorq; Babelis  
In bellis DOMINI sic quoq; fortis ov  
+ Respicitur ad Disp: nostram de odoratu surculi Jeschbaia  
partis I. est vigesima &c d. 13. Jan An. 169  
Huldericus Darjes; Anagr. Sedulus bte rideat  
mysticae.

A. D. HABICH



Patch Reference numbers on UTG  
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
0 5 10 15 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90 95 100 105 110 115 120 125 130 135 140 145 150 155 160 165 170 175 180  
mm Inch

Image Engineering Scan Reference Chart TEZ63 Serial No. 098